Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Tu agnum regentem terræ dominatorem Moabitici de petra deserti: ad montem filiæ Syon transduxisti.

Tuq; furentem leuiathan serpentem tortuosumq; et uectem collidens damnoso crimine mundum exemisti.

Hinc gentium nos reliquiæ: tuæ sub cultu memoriæ: mirum in modum quem es enixa propitiationis agnu regnantem coelo eternaliter deuotamus ad aram mactandum misterialiter.

Hinc manna uerum Israelitis ueris, ueri Abrahæ filijs admirantibus quondam Moysi quòd typus figurabat ia nunc abducto uelo datur perspici. Ora uirgo nos illo pane coeli dignos effici.

Fac fontem dulcem, quem in deserto petra præmonstrauit degustare cum syncera fide: reneq; constringi lotos in mari anguem eneum in cruce speculari.

Fac igni sancto patrisq; uerbo: quòd rubus ut flamma tu portasti uirgo mater facta pecuali pelle: distinctos pede mundis labijs cordeq; propinquare.

Audi nos: nam te filius nihil negans honorat.

Salua nos Jhesu, pro quibus uirgo mater te orat.